

mino ad medium coeli locato. Lunam uero optimam sortietur, si lumine crescens cum Ioue aut Venere coniuncta, aut ab illis uel radijs eorum beneficis circundata, a Saturno se separando. Quod si quispiam Iouis domum ad ascendens aptare poterit, ita ut a Marte incolume sit Marte cadente, & a Luna remoto optimum erit. Praeterea conuenit, ut dominus termini ascendentis sit fortuna, motu crescens, & dominus ascendentis in exaltatione sua. Solem autem in signo esse directae ascensionis prodest. Sed & pars fortunae, & dominus eius in signis fortunarum existant, Lunam ipsam fœlici radio aspicientes, haud quamquam uero inconueniens erit, Lunam & ascendens in signis terreis constitui, ut sunt Taurus aut Virgo. Nec præterea quarta domus est cum eius domino, quas pro tua uirili fortunabis. Adde, quæ Ptolemæus 36 uerbo sui centiloquij in hac re obseruauit in condendis scilicet urbibus, stellis fixis, quæ conferre habeant. In ædificandis uero domibus, erraticis uiendum est. Reges etiam ac quarumcunq; urbium principes, quæ urbes Martem culminantem habuerint, gladio plerumq; perire, & uerbo 54. dominatores in ædificationibus, ubi copulantur stellæ subterraneæ ædificij erectionem impedire,

Emere & uendere, uel mutuo dare, & accipere,
quando optimum sit, depræhendere.

Canon XVII.



Vi emendi, uendendi, aut mutuo dandi, aut accipiendi, animus est, ne id quidem sine cœlestium corporum ad inuicem habitudine facile instituet. Emptoris itaq; & debitoris significatores sunt ascendens, eius dominus & planeta, cui applicat Luna. Venditoris & illius qui dat a commodato, domus septima eius dominus, & planeta a quo Luna separatur, significatores erunt. Quantum ad precium attinet, iustum ne sit an magnum nimis, ex decimo & & eius domino, tum & loco Lunæ depræhendi potest. De re ipsa, quæ uenditur, quæ ue mutuo data est, bona ne an mala sit iudicari potest ex domo quarta eiusq; domino. In uniuersum igitur, quicunq; horum, sua loca fortunata inuenerit, & nusquam impedita, is melius habebit. Pro facilitate uero emendi & uendendi, mutuo dandi aut accipiendi facit fœlix radiatio domini ascendentis cum septima & eius domino, & Mercurio fortunato, inq; bono loco constituto. Quod si tetragono opposito uel aspectu sese respexerint, magna dissensione illa peragentur. His omnibus, appendicis formula subiectendum duximus, quod emptoris fortunam augebunt pars fortunæ in domo Iouis fœlici accidente affluxu illustrata, & Luna in quarta tertia ab oppositione usq; ad ultimam quadram, aut in duabus quartis occidentibus, Mercurio coniuncta, aut beneuolis eius radijs, domino ascendentis existente diminuto motus & domino medij coeli saluo existente. Pro uenditore faciunt Luna in exaltatione aut triplicitate constituta in signis directe ascendentibus, separando se a fortunis, iungendo se radijs maleficarum non corporaliter aucta etiam luinine & motu, uel Luna existente in secunda Sol's quadratura, aut in quartis orientalibus. Pro utriscq; iunctim Mercurius fortunatus, & Marte nullo radio maligno impeditus, Luna etiam existente in quadratura Solis prima, tunc enim res iusto precio emitur & uenditur. Ultima uero quarta ualeat emptori & commodo accipienti, si clanculum quicquam emere aut mutuo accipere uoluerint. At si quis forte aut casu fortunæ exposita pecunia lucro intentus esse uelit, is

I ij gradum